

V T R V M  
SATIS FIDE DIGNA SINT, QVAE TACITVS IN  
LIBELLO DE MORIBVS GERMANIAE  
TRADIT?

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA

Q V A M

P R A E S I D E

FRANCISCO VOLKMAR REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORD. AEDI  
ARCIS ET ACADEMIAE PRAEPOSITO CONSIST. ELECT.  
ASSESS. ET PHILOSOPHIAE PROF. EXTRAORD.

DIE VI. IDVS MARTIAS A. I. S. MDCCCCLXXXII

E N V M E R O E O R V M

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE EXERCENT

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R



CAROLVS CHRISTIANVS ERNESTVS CHARITIVS

L L . A A . M .

V I T E M B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

om. B.

1, 22

*N. L. a. d.  
Getai  
Caroli Christiani  
Ernesti  
se commendat!*









§. I

**I**n cognoscendis populorum originibus quo solet esse curiosior animus humanus: eo magis dolendum est, quod, quae de eis prodita sunt a maioribus, vel interierunt plane; vel, si non subripuit illa posteritati temporum inuidia, saepissime fabulis sunt inuoluta, figmentorumque contaminata maculis. Illud, quam sit verum, exponere, ab hoc quidem loco videtur esse alienius, et, quoniam norunt omnes, qui attigerunt has literas; et, quod ipsa libelli, quem adornare instituimus, ratio desiderare nos docebit antiquitatis monumenta, quorum non nisi memoria ad nostram peruenit aetatem. Alterum vero, ut nihil dicam de improbis eorum laboribus, qui historias canae vetustatis explicare, rerumque primordia pandere volunt accurate, satis apparet ex eo, quod suarum rerum tempora Graeci in ἀδηλον, μυθικον, et ἰσορικον distinxerunt, eademque distinguendi necessitate nos ipsos adhuc adactos sentimus. Praeter haec vero atque alia, quae commemorare nihil attinet, haud parum impedimenti obiicit historias perscrutanti illa plurimorum, qui de rebus gestis antiquo tempore scripserunt, peruersa ratio, qua nimia patriae occaecati caritate, ciuitatum, in quibus degerent, honorem nomenque modis omnibus auctum voluerunt. Illud partium studium, quod nemo non videt ab historiae finibus plane esse proscribendum, acutissimi quique veterum monumentorum aestimatores Graeciae maxime Latiique scriptoribus adhaerere animaduertunt,

A

terunt,





terunt, <sup>a)</sup> ob eamque rem in contemplandis iis et ipsi summam adhibuerunt diligentiam; et alios, ut cauti essent, grauer prudenterque admonuerunt. His igitur cum difficultatibus conflictandum est ei, qui fontes historiae ipsos adire, et spinis cardisque, quibus circumsepti horrent, submouendis, aliis facere gratum cupit, ut tuto ad eos pede conferre se queant. Quae quanquam sunt grauissimae: tamen Taciti libellum, quem de moribus Germaniae composuit, usurpare volentem noui terret periculi metus. Praeter illam enim, quam nemo fere historicorum veterum effugit, reprehensionem, qua nimium suis tribuisse accusantur, alia est nota, qua inde ab aliquo tempore hunc affecerunt scriptorem. Certe denegarunt huic eius, de quo loquimur, libro necessariam auctoritatem, qua instructus esse debet, si tuto eo uti volumus. Satiram enim, non historiam, scribendo eo, illum apparasse; neque mores atque instituta Germanorum depingere, sed suorum, inter quos viueret, castigare vitia. Ut concesserim, hanc suspicionem esse idoneam ad deterrendos eos, qui discere ab illo pristinum patriae statum voluerint: quamquam hoc non nisi accurate definitum statui recte posse videtur: tamen, ubi disputatio nos eo deduxerit, quo haec quaestio pertinet, quod maius est, respondendo efficere conabimur, vanam eam esse, multisque nominibus falsam censendam. Apparet vero exinde, quod praemoneri, non erat inutile, omnes in partes animum aduertendum esse ei, qui, quae sit Taciti in vetere Germania a se descripta fides, explorare audeat. Quauis igitur hoc difficillimum sit, atque ab eo, qui a necessariis doctrinae copiis nondum satis adiuuatur, negotium timidiuscule suscipiendum: tamen satisfecisse me aequorum voluntati iudicium existimo, si, auditis ab utraque parte virorum doctorum hac in re sententiis, iudicium interposuerim non plane ineptum. Conuenit enim inter omnes, ab iis, qui coeperunt tantum amare literas, non nisi requiri posse hoc: ut, quae vel adfidendo praeceptoribus in scholis, vel legendo adultiorum scripta, collegerint, in usum se conuertisse, periculo facto, ostendant. Ut igitur ipse quoque vires experirer meas, videre apud animum constitui: *utrum satis fide digna sint, quae Tacitus in libello de moribus Germaniae tradidit?*

§. II.

a) Sic, ut exemplo utar ad rem propositam pertinente, VELLEIVS II. 118. Germanos *natum mendacio genus* appellat. Sed iniquum hoc iudicium expressit ei cladis Varianae memoria.





## §. II.

Quoniam vero historico in monumento, quod inspicimus, quouis, ad tempus, cui debeat, ad locum, quo eius vixerit auctor, et reliqua, quae ipsum in eo perficiendo vel adiuuerint, vel impedierint, quantum fieri potest, ante debet respici, quam ferre de eo iudicium audeamus; huic quoque scriptiunculae prima haec erit obseruanda lex, vt, quo loco fuerint, scribente Tacito, res Germanicae apud Romanos, historia magistra ac duce explicetur. Ex eo enim intelligatur, necesse est, vtrum tanta Germanorum Romanis fuerit notitia, quanta opus erat ad eum, quem auctor noster proposuit, libellum conscribendum. Deinde, si qua sunt in eius scriptis, et reliquis, et hoc, de cuius fide quaestio est instituenda, impressa vestigia, ex quibus animum eius, indolemque perspiciamus; strenue, et quantum hic fieri debet, exquiremus. Ita enim agendo, multum nobis facultatis comparauerimus ad consilium detegendum, quod scribenda hac de vetere Germania commentatione assequi voluerit. His rite peractis, responderi demum poterit ad ea, quae illi opprobrio vertuntur. Inquirendum igitur erit, quam vere statuunt, qui vel indigne atque inique de antiquis patriae nostrae incolis retulisse eum accusant; vel, quum peruersos sui temporis mores castigarit, nimium barbaris eum tribuisse, clamant. Ex his vero omnibus patebit, diuersimode fidem Taciti esse aestimandam; in aliis saluam eam esse, satisque munitam; in aliis dubiam, nec tuto sequendam.

carta auctoritate.

## §. III.

Ex ordine igitur, quem nobis in perficienda hac dissertatiuncula praescripsimus, primo loco agendum est hoc: vt lucem praebente historia, in ea, de quibus narrare instituimus, tempora mente reuertamur. Diuturna autem cum Germanis a populo Romano bella gesta sunt. Quum enim post Cimbro Teutonisque debellatos, quadraginta praeteriissent anni, quibus nihil ab eis gestum commemorat historia: arma a Caesare resumta, nunquam aduersus eos quieuerunt. Inter omnes, qui cum Germanis conseruerunt manus, Germanicus, Drusi filius, maximam videbatur laudem consecuturus: sed obstitit Tiberius. Hic enim partim propter inuidiam, qua illum persequebatur, partim propterea, quod inuictam videret Germanorum virtutem, maiorum, regumque Macedo-

A 2

niae,





niae, credo, imitatus calliditatem, tutius esse putavit, si, quos ipse sine periculo non posset adoriri, permetteret, ut intestinis discordiis vires contererent. <sup>b)</sup> Hanc autem eum spem non frustra aluisse, praeter alia e Taciti Annal. II. 88. videmus, vbi Adgandestrium, Chattorum principem, datis ad senatum literis, mortem Arminii promississe refert, si patrandae neci venenum mitteretur. Quare Drusum quidem, ut militiae adsuesceret, ad pacem inter Arminium et Marobodum restituendam misit: <sup>c)</sup> sed Frisiis rebellantibus, ne cui bellum permetteret, damna dissimulavit potius, quam resarciendis iis curam adhibuit. <sup>d)</sup> Claudio imperante, bella aduersus Germanos redintegrata, quanquam maioribus subinde interuallis interrupta sunt, ut sub Vespasiano utroque: nunquam tamen desierunt, sed imperio Romano paullatim ad interitum vergente, feliciore Marte a Germanis gesta sunt. E quibus omnibus, quum inde a Mario vsque ad Traiani tempora longo ordine continuarentur, non poterat non frequens enasci Romanis occasio, populos Germanicos propius inspiciendi; certe disciplinam bellicam, usumque armorum, quem haberent, animumque, quo pugnarent, cognoscendi. Quod dum scribo, nihil profecto, nisi Strabonem exscribo, qui L. VII. (edit. Basil. 1549. pag. 281.) ita: γνώριμα δὲ ταῦτα κατέστη τὰ ἔθνη, πολεμοῦντα πρὸς Ῥωμαίους, εἴτ' ἐνδίδοντα καὶ πάλιν ἀφιστάμενα, ἢ καὶ καταλίποντα τὰς κατοικίας. Καὶ πλείω δὲ γνώριμα ὑπῆρξεν, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ σεβαστὸς, διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, μετιούσι τοὺς ἐκείσε ἐπανισταμένους· γυνὴ δὲ ἑυπωρότερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ πόλεμον, εἰ τῶν ἔξω τοῦ Ἄλβιος καθ' ἡσυχίαν ὄντων ἀπέχοιτο, καὶ μὴ παροξύνοιτο πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς ἔχθρας. Sed haec mores Germanorum cognoscendi per bella oblata occasio non erat sola, quae Romanis obtingebat noua discendi cupidis. Multi enim eorum, quos nomine a Graecis accepto, vocabant barbaros, vel praeliorum infelicitate, vel alia quacunque de causa ipsa in vrbe Romae commorabantur, sicut Marobodus, Segestes: quorum illum, quum per aliquod tempus in Italia esset versatus, in terras suas rediisse scimus, disciplinamque Romanorum militarem suos docuisse populos. <sup>e)</sup> Non Arionistum commemoro, Sueuorum regem, qui multa egit cum Caesare in Gallia; non reuoco in memoriam, quod omnes

<sup>b)</sup> Annal. I. 7. II. 26. 41. 43. 59.      <sup>c)</sup> Annal. II. 44 — 46

<sup>d)</sup> Annal. IV. 74.      <sup>e)</sup> Annal. II. 63.





omnes ex auctoribus istorum temporum norunt: ex quo Romani cum Germanis primum sint congressi, in tantum res esse haud ita longo temporis lapsu commutatas, vt imperatores insecuti Germanorum copias suis adiungerent militibus, vnaque illorum gente aduersus alteram in bello, domi ad custodiendum corpus iis vterentur; quid? quod ipsum iam I. Caesarem virtute cohortium Germanicarum in campis Pharsalicis victorem e pugna discessisse. *f)* Dum enim haec praetereo, satietati medeor rerum nulli non e lectis historiis cognitarum. *g)* Quis enim vel non admonitus credat, diutinam illam, quae exinde pariebatur, Germanorum terras, mores atque instituta et contemplandi oculis, et fando ab aliis discendi occasionem, nemine vtente, obtigisse frustra? Quare ea potius adferre placet, quae, praeterquam quod consilio meo egregie fauent, mitiorem quoque de populis Germanicis, quam vulgo esse solet, sententiam persuadere possunt. Plerique enim putant, eam illorum fuisse ferocitatem, ne dicam feritatem, quae nullo modo placida ferret amicitiae vincula. Sed audiamus historiae testimonium in re, in qua nullus suspicioni locus relinquatur. *Hermundurorum TACITVS civitatem fidam Romanis nominat, cui permissum fit, non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhaetiae colonia passim sine custode transire.* *h)* IDEM aliarum gentium Germanicarum reges pecunia a Romanis adiuuari asseuerat. G. 41. 42. Foedera cum illis pangebantur, et iura firmabantur amicitiae. Patente igitur ad terras Germaniae aditu, Romani, frequentius illas inuisendo, quanquam incultas repererant, tamen, quid prouentuum ex eis in Italiam magno suo commodo exportare possent, non frustra quaesierant. Quod enim ex illo, qui modo est adscriptus e Tacito locus, vidimus, Hermundurorum commercii causa in prouinciis Romanis liberum fuisse circuitum: iam *documenta* afferamus, *negotiationis in terris Germanicis a Romanis non neglectae.* Horum autem multos ibi cum ex aliis, tum e Tacito constat, versatos fuisse, quos *ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum obliuio patriae suis a sedibus hostilem in agrum transtulerat.* *i)* Astute intelligebat Romano-

A 3

mano.

*f)* FLORVS IV. 2. TACITVS Annal. I. 24. *g)* Conf. MASCOVII *Geschichte der Teutschen* L. I—V. vbi haec omnia conquisite perscripta sunt. TACITVS ipse de mor. Germ. c. 37. breuiter rem complectitur. *h)* Cf. Histor. IV. 64 et 65. *i)* Annal. II. 62. SVETONIUS in *Octauio* 49. in *Caligula* 55. 58.





manorum luxuria horum vti rerum inscitia. Succinum enim, seu Glesum, in Aesthyorum legebatur oris maritimis, quod, quum diu inter caetera eiectiona maris, conquirente nemine, iacuisset, pretio emerunt ab imperitis. Quod cuius esset naturae, Taciti nostri tempore iam diligenter erant perscrutati: et, si quis voluerit differentem de eo audire, eum caput in Germania illius 45. legere non poenituerit.<sup>k)</sup>

#### §. IV.

Haec, quae iam breuiter retulimus ab historicis aetatis illius commemorata, simplici atque aequo animo perpendenti, nemo potest videri nimium statuere, si contendat, magnam iam, Tacito scribente, Romanis cum gentibus Germanorum multis contractam fuisse familiaritatem; tamque arctam inter vtrosque intercessisse consuetudinem, quae de Germania exponere volentem idoneis non destitueret praesidiis. Quibus cum vti ille posset in libro suo conscribendo, *mirifice etiam adiuuabatur eo, quod iam ante se habebat, qui de rebus Germanicis explicassent.* Iulius quidem Caesar, Liuius, Asinius Quadratus, Cato, Plinius, et, si qui sunt praeter hos alii, non contemnendos de eis reliquerant commentarios.<sup>l)</sup> Neque dubium est, quin hi ab illo sint lecti, quum Iulium in libello, de cuius fide quaeritur, c. 28. Secundum Annal. l. 69. laudauerit. *Mappam quoque geographicam Augustus describendam curauerat, atque in porticu ad publicum suspenderat vsum: quae num multum utilitatis praebere inspicientibus potuerit, id vero negare malunt, quam adfirmare.* Quemadmodum enim omnia, quae audet ingenium humanum, ab exiguis proficiscuntur initiis: ita hic quoque conatus, cur omnium maxime plurimis laborarit vitiis necessario, multifariam intelligitur. *Optandum igitur videbatur, ut ipse peragraret Germaniam:* quod

k) Cf. PLINIUS H. N. IV. 13 et 16. Praetermitto merces alias, e Germania deportari in Italiam solitas, seruos nempe, pecora, crines, quibus exornare se feminae coeperunt Romanae, et id genus alia. Vid. TACITI Germ. c. 4. et quae Lipsius aliique ad eum locum de rutilis Germanorum capillis congesserunt.

l) LIVIUM non pauca de populis Germ. memorasse, ex epitomatore eius constat: reliqui vero praeter IUL. CAESAREM res a Germanis gestas integris complexi erant libris.





quod ut crederent, rationibus multi adduci se passi sunt, ut postea apparuit, parum idoneis. Primum enim ad PLINII H. N. VII. 16. provocarunt, ubi leguntur haec: *Ipsi non pridem vidimus ea ferme omnia, praeter pubertatem, in filio Corn. Taciti, equitis Romani, Belgicae Galliae rationes procurantis.* Quae si dicerentur de nostro auctore, haberent sane illi, quod laetarentur. Quum enim ita non vicinos solum habuisset Germanos, sed inter illos vixisset medius, quippe quorum pars magna Gallis erat admixta: <sup>m)</sup> vix aliam, quae ipsius consilio magis inferuisset, datam sibi cupiuerit provinciam. Quia vero is, quem Plinius hic nominat, filium habuerit, necesse est, iam tres natum annos, annoque septuagesimo octavo demum matrimonium iniit Tacitus noster, eodemque summam imposuit libro suo Plinius manum: apertum est, non hunc, sed alium hic appellari. <sup>n)</sup> Quod autem ex iis, quibus socerum quadriennium ante morte abreptum lamentatur, quam redierit cum uxore domum, coniecere nonnulli ausi sunt, illud ab eo in itinere *ἰσορίας ἐπέκειντο* in Germaniam suscepto esse consuetum: id, qui immaturis abstinent iudiciis, tanquam incertum dubiumque in medio relinquunt. Omnino TACITVS, si Germaniam vidisset ipse, id non dissimulasset. Sed in vniuerso libello nihil occurrit, quod eo pertineat; omnis oratio ita comparata est, ut ea tantum videri velit tradere, quae acceperit ab aliis. Quum vero perpetua esset Romanis cum gentis Germanicae hominibus confabulandi copia: multa ille poterat rectius comperire, si linguam eorum sciebat. Quam cum ignoraret, haud exiguo destituebatur ad consilium suum feliciter exsequendum auxilio. Namque ita quisque ad populorum instituta, leges moresque perspiciendos et enarrandos habetur optime praeparatus: uti ab eorum linguae cognitione est instructissimus. In eo tamen fortunam ille fautricem nactus est, quod in aula Traiani, cui simul cum Plinio iuniore habebatur carissimus, locum obtinuit praecipuum, ex quo aditus ad viros panderetur clarissimos, nec non ea, quibus opus erat, facile compararentur. Accedit adhuc, quod vere summum est, maxima eum cum dexteritate ingenii, tum iudicii gravitate fuisse munitum. Quod quam verum sit, nulla indiget demonstratione; quum

<sup>m)</sup> I. CAESAR B. G. VI. 2. DIONYSIVS LIII. 15. SVETONIVS in Augusto 21.

<sup>n)</sup> Vid. SCHLOEZER in der Nordischen Geschichte, pag. 127.





quum, quas rerum sub Caesaribus pertexuit enarrationes, singulis id loquantur paginis. Neque cogitari potest, talibus exornatum eum dotibus, amplam, quae tum erat, nationes, morum vitaeque ratione a culta Romanorum ciuitate longe abhorrentes cognoscendi opportunitatem, pigre ac turpiter neglexisse. Sed ne forte philosophari videamur nostro lubitu, et fingere hominem, qualis vere non fuerit, e suo ipsius eum sermone diiudicent, quibus de eo nondum persuasum est satis. Ipse enim Annal. IV. 32 et 33. ut tutum se praestet ab eorum peruersa sentiendi ratione, qui nisi rerum magnarum mirabiliumque lectione delectari nesciunt, graui pariter dignaque ingeniis praestantioribus oratione docet, rerum paruarum exilitatem formamque indecoram non alto esse supercilio spernendam. Saepe enim ex iis, quae primo adspectu videantur leuia, rerum magnarum oriri motus. Hoc autem animo quum accederet ad contemplanda ea, quae fierent: factum est, ut historici pragmatici, quem dicunt, laudem consequeretur. Vid. BOECLERI *bibliographia critica*, p. 289 sqq. Ex his igitur, quae hactenus sunt exposita, quamquam intelligitur, non defuisse impedimenta, quibus opera Taciti cohiberetur: nihilo tamen minus sole elucet clarius, illi et tempora viuendi obtigisse plane ea, quae veteris Germaniae faciem adspicere, aliisque adumbrare cupienti essent opportunissima; et facultates a natura fuisse innatas, quibus praeditus uti recte posset emolumentis, quae fortuna benignior obtulisset.

#### §. V.

Sed haec omnia, quoniam sunt historiae auctoritate firma, nemo facile in dubium vocauerit: *fidem auctoris ipsam infirmam esse queruntur*. Hoc autem, quam vere aut falso obiiciatur, omnino est, quod examine-tur diligentius. *Prima enim historiae est lex, ne quid falsi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* Obtemperemus huic TULLII praeepto, (de oratore L. II.) ad quod si quis exegerit libellum auctoris nostri, profecto fidem eius recte probasse existimandus est. Sed quamquam bene intelligo, ab aduersariis, quibuscum nobis hic res est, non tam omnem veri amorem abnegari Tacito, quam potius hoc exprobrari, quod in describenda Germania eum non ostenderit: nihilo tamen secius, quia modus agendi, quem quis secutus sit in aliquo negotio exequendo, si dubius est, rectius





rectius diiudicatur et quasi elicitur, aliarum, quarum de indole constat, actionum eius comparatione in auxilium adsumta: equidem nihil alieni facere eum existimo, qui, antequam ad propositam accedat causam, *in uniuersum pauca anquirat et praeponat*. Hoc igitur nunc quoque fieri breuiter liceat. Magna autem erat sub primis Romae imperatoribus temporum peruersitas, non in moribus solum, qui ad vitae spectant consuetudinem; irrepererat pestis doctorum quoque pulpita, et scripta historicorum, a quibus semper abesse debet, partium inuaserat cupiditas. Assentatorum Tacitus habendus esset pessimus, si, de qua tristi voce lamentatur, adulandi libidine ipse fuisset inquinatus. Sed, nisi praecipiti fas est condemnare iudicio, fateatur quisque, necesse est, multo illum fortiore ac digniore in deploranda ista miseria usum esse oratione, quam quae cadit in eiusmodi seruitia. Causas quoque, quibus fidem narranti sibi conciliaret, tam addidit graues, ut omnis euanescat suspicio. (Legantur *Annalium Historiarumque initia*.) Facile fuerit, ex ipsis his libris plures eligere locos, e quibus, quam religiose veritatis se adstrictum tenuerit legibus, efficeretur. Sed, quum satis notum sit, in vitiis flagitiisque ipsorum principum, quando officium id posceret, aperiendis <sup>o)</sup> nihil eum esse tergiversatum, idque ipsum austeritatis notam illi contraxerit: acta ageremus, si, praeter haec, quae sunt dicta, adderemus plura. <sup>p)</sup> Quare me quidem lubenter profiteor accedere iis, qui aequius de auctore nostro sentiunt, in his maxime *CONRINGIO*, qui in praefatione, quam libello de Germania ex recensione *IUSTI LIPSI* primum edito <sup>q)</sup>, praemisit, *non in laudes, inquit, viri (Taciti) digrediar, ut quem constat familiam ducere omnes inter historicos, qua prudentiam, qua sincerum mentis iudicium, qua postremo ipsam dictionem*. Magnificum hoc viri in rebus historicis diiudicandis acutissimi de Tacito testimonium ad huius de Germania quoque librum summo refertur iure. Nam sunt in eo multa, e quibus, sancta eum fide esse scriptum appareat. Fabulosa enim refecat; <sup>r)</sup> incerta non adfirmat; <sup>s)</sup> si quando par est causarum, cur aliquid sit factum, auctoritas, cunctas affert; <sup>t)</sup> laudanda lau-

<sup>o)</sup> *Annal. III. 65. „ut prauis dictis factisque ex posteritate et infamia metus esset.“* <sup>p)</sup> Unus nunc sufficit locus *Annal. VI. 6.* <sup>q)</sup> *Helmstadii typis et sumtibus Iac. Lucii, 1635.* <sup>r)</sup> *Germ. c. 3. 34. 46.* <sup>s)</sup> *c. 28. 29.* <sup>t)</sup> 33.





laudat; <sup>u)</sup> vituperanda vituperat. <sup>v)</sup> His nullo negotio plura adiungi possunt: nos intermittimus. Quae enim deinceps erunt dicenda, idem, quod paucis ostendendis vestigiis hic poterat absolui, vberius confirmabunt. Constat certe, praeter quod hoc loco demonstrare nihil promissimus, auctorem rerum Germanicarum non a voluntate minus, vera literis tradendi posteris, quam a facultate ea cognoscendi, fuisse instructum. Itaque in his posset desinere disputatio; *nisi fuissent, quibus Tacitus vel nimium auxisse, vel depressisse Germanorum virtutem existimaretur.* Atqui haec sunt, ad quae nisi responsum fuerit, res neutiquam confecta dici possit. Ab altero, tanquam leuiori, procedat oratio.

### §. VI.

Iam ab initio huius scriptiunculae memorata est haec nonnullorum obiurgatio, cui certissimum est, tantum non omnes fuisse obnoxios, qui antiquo tempore scripserunt *historias*. *Communem igitur cum reliquis sortem noster est expertus.* Non utile foret, longum eorum deducere ordinem, qui tam inique aduersus eum statuerunt; satis est, duorum adferre virorum nomina: vnus, propter ingenii, qua celebratur, laudem; alterius propterea, quod singulari apologia veteres Germaniae incolas ab historicorum, nominatim Taciti inuidia defendendi sibi sumsit prouinciam. Ille est THOMASIVS, qui ad SEVERINI DE MONZAMBANO librum, quem PUFFENDORFIUS sub ficto hoc nomine *de statu imperii Germanici* scripsit, c. 7. pag. 546. *Labor et castitas, inquit, indiuiso nexu sobrietati iuncta est: mores igitur nostros descripsit Tacitus, non Germanorum illius aevi: et c. 1. pag. 38. Ebrietas castitatis inimica est, etc.* Alter, qui Germanorum virtutes contra liuida antiquorum iudicia, acie quasi instructa, tuetur, illum sequitur, animi quadam, credo, bonitate inductus, atque aegre ferens, maiorum, quibus deberet originem ipse, fortitudinem ac simplicitatem, vitiorum maculis conspersam. <sup>x)</sup> Ex paucis his iam licet colligere, quibus rationibus hi in impugnando Tacito vtantur, quae quippe ex ingenio magis enatae, quam comprobatae historiae testimoniis, quum rei nostrae nihil officiant, morari nos non

<sup>u)</sup> 41.    <sup>v)</sup> 33. 34.    <sup>x)</sup> Est vero SCHÜTZE, minister quondam sacrorum En. Altonae, cuius prodierunt: *Drei kleine Schutzschriften für die alten Teutschen, Lipsiae, 1746.*



non possunt. Ex parte refutet eos GROTIUS, qui in prolegom. ad hist. Goth. pag. 19. sanum profecto tulit iudicium: *Ebrietatem, inquit, non novum Germanis vitium adusaf Tacitus, alique. Non excuso: quamquam Plato hoc commune esse dixerit bellicosis gentibus, Scythas, Persas, Poenos, Hispanos, Thraces nominans, quibus Indos addit Aelianus. Sed tamen huius culpa in septemtrionalibus populis partem caelum sustinet, quod circumfuso frigore calorem penitus in corpora adigens cogit sitire.* \*)

## §. VII.


Lite igitur GROTII patrocinio commissa, conuertamur ad eos, qui Tacitum in Germania sua non hoc sibi habuisse propositum opinantur, ut vere mores atque instituta veterum eius incolarum describeret; sed usum tantummodo eum esse barbarorum nomine, ut, quantum ab illis ipse voluerit cultam Romanorum civitatem probitate morum, institutorumque sanitate superari, imagine, quam sua pinxisset manu, ante oculos posita, demonstraret. Opinionem hanc a viris doctis Francogalliae ad nostrates transisse, fugit neminem. BÜNAVIVS, ab iisdem stans partibus, in historia, quam scripsit, imperiali pag. 59. Tacitum, existimat, veterum Germanorum nimium extitisse praeconem, partim, propter admirationem, in quam abreptus sit, quum, quos feros cogitasset, brutosque, meliore beatos conditione reperisset; partim, quod celebranda illorum virtute, flagitiosos populares in ruborem dare constituisset. Cui opinioni quid sit tribuendum, exposuerunt passim in scriptis suis, quibus eius erat mentio facienda. \*\*) Nobis, quibus commodum est, hoc loco instituere quaestionem, quid videatur, exponamus. Fatendum igitur est, Taciti descriptioni Germanorum vere admixta nonnulla esse, quibus temporum morumque, quae tum regnabat, peruersitatem existimare notatam possis. Quando enim Germanos, quibus aurum argentumque dii propitii, an irati negauerint, dubitat, iam a Romanis edoctos, pecuniam dicit accipere: (c. 15. 26.) quis non videat, ictum obliquum eum esse meditatum in turpissimam lucri cupiditatem, qua misere tum flagrabat venalis

B 2

Roma?

y) Legendus hic est liber PETERSENI: *Geschichte der Nationalneigung zum Trunke*, pag. 73. z) In aliis SCHMIDT in praefatione ad *historiam*, quam edidit, *Germanorum*; atque AMELANG in libro, qui est inscriptus: *Gedanken über die Absicht und den Plan des Tacitus*.





Roma? Quis non concesserit, laudantem eum intemeratam pudicitiae apud adolescentiam Germanorum sanctitatem, et fidem coniugiorum nullis adulteriis violatam, animo respexisse ad mollitiem suorum, quibus vitia ridere, nulla esset religio, corrumpere autem et corrumpi, saeculum vocaretur? (c. 18. 19. 20.) In commendanda Germanorum simplicitate, qua funerum nulla erat apud illos ambitio, ac sine apparatu, sine blandimentis expellebatur fames, quis inficias eat, obuersatam esse scribentis oculis operosam arduorum magnificentiam monumentorum, conuiuiorumque inter suos luxuriam prope incredibilem? (c. 23. 27.) Sed pro angustiis finibus, intra quos haec est retinenda dissertatio, longius foret, si omnia ac singula, quae possunt, recensere vellemus.<sup>a)</sup> Satis exemplorum positum: iam inquiramus, vtrum ex illis iure liceat concludere, nec ne? satiricum, non historicum agere voluisse Tacitum.

#### §. VIII.

*Causas vero, cur id negemus, satis idoneas habere videmur. Primum quidem opponimus hoc: eum, si non tam Germaniam describere, quam Romanorum castigare voluisset vitia, non tantam adhibiturum fuisse diligentiam in singulis eius gentibus enumerandis, in finibus, quibus inter se coercerentur, constituendis, in montibus, syluis et fluuiis nominandis, quos accolerent. Namque haec, quia taedium saepe cient lectoribus, et possunt et debent abesse a satiris; neque dubium est, quin molesta illa nominum Germanicorum conformatione lubenter supersedisset Tacitus, nisi vere voluisset rerum Germanicarum esse scriptor. Interdum plurium gentium nomina coniungit, de quibus, quippe parum notis, nihil omnino refert. In nudis autem earum nominibus nulla poterat inesse obiurgatio. Sed omnis, quam secutus ille est, enarrandi ratio nostram confirmat sententiam. Quam curiose enim ea quoque obseruat, quae ab homi-*

<sup>a)</sup> Pertinent huc, quae c. 19. de numero liberum apud Germanos non finiendo; c. 20. de matribus, infantes vberibus suis lactantibus, coll. GELLII *Noctibus Atticis*, XII. 1. monet. Inprimis *literarum secreta*, quae viri pariter ac feminae ignorare dicuntur c. 19. huc referenda sunt. His verbis, a multis saepe satis finistre acceptis, pungi Romanorum lasciuiam, epistolas furtiuas in rebus amatoriis adhibentium, cum contextus docet, tum ipsa formula declarat. Conf. OVIDIUS *Amor.* L. I. el. 9.





hominibus quotidianis vel negliguntur, vel ne animaduertuntur quidem. Qualis eorum vestitus, victus, pactio matrimoniorum, dominorum feruorumque habitus; quae esset erga propinquos, amicos, inimicos, mortuos pietas; erga deos reuerentia; quae essent hospitii iura; quomodo res domi ac foris, pace ac bello administrarentur; quis in pugnam euntium feruor; quae negotia quietis, eorumque distributio; quodcunque demum peregrino dignum videri obseruatu poterat, animaduertit et notauit. In his autem multa memorantur, quae minime ita sunt comparata, vt populares eius tangerent, ac veluti stimulis pungerent. Namque interdum carpi mores Romanorum a Tacito velut aliud agendo, extra dubitationem est positum; <sup>b)</sup> et sunt quaedam huius vituperationis exempla §. VII. allata. *Sed fateri poterat noster cum poeta, sibi fere aequali: difficile esse, satiram non scribere.* Quam abominanda enim fuerit, qua vixit, aetatis indoles, et significauimus iam haud multum ante; et sciunt omnes, nisi temporum illorum plane rudes, et neque historicorum, neque satiricorum, qui tum extiterunt, lectione informati. Vt ex parte saltim intelligatur hic, quo vsque libido et luxuria apud Romanos sub Caesaribus progressa fuerit, PLINIVM narrantem auscultemus. Profitetur autem hic H. N. XIV. 22. haec: *Nos Romani vinum bibere et iumenta cogimus, tantoque opere, tanto labore et impendio constat, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat, millibus scelerum huic deditis tanta dulcedine, vt magna pars non aliud vitae praemium intelligat. Quin imo, vt plus capiamus sacco, franguntur vires, et alia irritamenta excogitantur. Nudi multi et anhelii, quum nec tunicam expectare possint, ingentia vasa corripunt, velut ad ostentationem virium, ac plane infundunt, vt statim euomant, rursusque hauriant, idque iterum tertioque, tanquam ad perdenda vina geniti, et tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus.* Conf. SENECA ep. 83. <sup>c)</sup> Itaque enenerat, quod praescia mens Horatii Carm. III. Od. VI. vaticinata erat:

B 3

Aetas

- <sup>b)</sup> Flagellum satiricum scriptoris nostri manibus plane quidem vult extortum AMELANG l. c. sed, quanquam verissime statuit, nationum incultarum exempla cultioribus imitanda proponi non posse: hoc tamen certum est, posse illa admonere, quantum a beata simplicitate recessum sit.
- <sup>c)</sup> Diligenter congeffit, quae ad historiam morum istius seculi longe perditissimorum illustrandam faciunt, Meinerius in libro: *Geschichte des Verfalls der*





*Aetas parentum peior auis, tulit  
Nos nequiores, mox daturos  
Progeniem vitiosorem.*

Quae quum ita essent, qui tandem impedire poterat Tacitus, quo minus in describendis Germanorum moribus, qui probi essent ac simplices, magis extaret ac promineret popularium vitiositas? Manifestum est, si qua habet libellus, de quo loquimur, notatae illius aetatis indicia, id non auctori, sed illi ipsi esse adscribendum. <sup>d)</sup>

§. IX.

*Vere autem eam fuisse Germanorum simplicitatem et virtutem, quam  
eis tributam ab eo legimus, id multis doceri potest argumentis. Consen-  
tiunt*

*der Sitten bei den Römern; quibuscum comparentur, quae idem de eadem  
re monuit in opere: Göttingisches historisches Magazin tom. I. sect. III.  
IV. et tom. VI. sect. II.*

<sup>d)</sup> Nihil enim reprehendendi causa finxisse Tacitum, nec expressisse vanam aliquam et a veritate abhorrentem imaginem, sed veluti ante oculos habuisse homines certos, quorum mores, omnemque sentiendi rationem describeret, imprimis manifestum est ex eo, quod quae de Germanis tradit, hodieque reperiuntur in gentibus incultis, et confirmantur mirifice narrationibus eorum, qui Americanorum, aliorumque barbarorum indolem et mores accuratius exposuerunt. Quam verum hoc sit, et quam efficax ad confirmandam Taciti fidem, iam ROBERTSONVS breuiter ostendit in libro: *Geschichte der Regierung Kaiser Carls des V.* tom. I. pag. 290 sqq. verl. vernac. Sed posset hoc fieri multo copiosius. In quo imprimis colligenda essent parua multa, quae quasi aliud agendo commemorat Tacitus, quae autem ab hominis barbari imagine nullo modo possunt abesse. Nobis liceat paucis nunc defungi exemplis. Cap. 15. narrat TACITVS: *quotiens bella non incunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque.* Male habuit hic locus viros doctos, putaruntque, istam somnolentiam alienam esse a ceteris Germanorum moribus. Quare LIPSIVS in commentario illud otium benignius interpretari studet, THOMASIVS autem in *dissertat. de hominibus propriis* §. 12. erroris accusat nostrum. Male; nihil magis amant viri gentium barbararum et bellicosarum, quam otium, epulas et somnum, cum a militia vacui sunt; conf. ROBERTSONI *Geschichte von America*, tom. I. p. 363. Pergit TACITVS ibidem: *fortissimum quemque ac bellicosissimum nihil agentem delegare domum, penates et agrorum curam feminis senibus, et infirmissimo cuique ex familia; miratur simul ipse diuersitatem naturae, cum iidem homines sic ament inertiam,*





tiunt enim in eo alii cum Graeci, tum Latini auctores; ex eis, quae ab illis sunt gesta, idem prodit iudicium; denique confirmatur illorum laus egregie eo, quod magno semper in honore fuit Germanicum apud Romanos nomen. Dissentit quidem nonnunquam Tacitus a Caesare, Plinio, Strabone, aliisque: sed in summa iisdem cum illo conuenit; nullus autem plane eorum est dissensus ea in re, quam nunc premimus.<sup>e)</sup> Quum igitur vnanimi omnium voce imperterrita eorum celebretur fortitudo, simplicitas consuetudinum, morumque rectitudo: quis suspicetur iure, probari eos tantum eo consilio a Tacito, vt haberet, quorum laude praedicata, suorum increparet vitia? Neque aliqua vrget necessitas, vt hac in re vnus aut alterius adstipulemur sententiae; ea, quae fortiter ac laudabiliter a Germanis patrata vniuersa prodit historia, satis docent, non meliores

tiam, et oderint quietem. Quis non vel ex hoc vno loco intelligit, quam alienus a fingendo fuerit Tacitus: cum nonnulla afferat, quae ipse vix iusta ratione conciliare inter se sciat. Sed gentibus barbaris hoc sollemne esse, vt viri, ad militiam apti, labores domesticos imponant feminis et infirmis, ipsi inertiae se dedant, testantur omnes, qui tales populos viderunt. Vid. ROBERTSONVS ibidem, et pag. 366. — Cap. 21. *poscendi facilitatem* memorat Tacitus, quae Germanis fuerit propria, et addit: *gaudent muneribus; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* Hoc modo gentes barbaras omnes animatas esse, vno ore narrant, qui inter eas versati sunt. — *Quaedam loca, ait noster c. 16. illinunt terra ita pura ac splendente, vt picturam et lineamenta colorum imitetur.* Delectantur hodiernum omnes barbari coloribus variis, lucidis, splendentibus late et pungentibus oculorum aciem. — *Sueuos, narrat cap. 38. formae curam habere, non, vt ament amenturue, sed adituros bella in altitudinem quandam et terrorem ornari.* Barbaros omnes, cum Americanos, tum Australes, comtos et omni modo exornatos proficisci in proelium, tradunt, qui istas regiones adierunt, consentiente voce. — Sed plura congerere nec locus, nec tempus permittit. Obseruauit iam ex hoc genere multa KRAFT, in libello notissimo: *die Sitten der Wilden*, ad quem lectorem remittimus. Add. HEYNIII *opuscula acad. tom. III. prol. I. et II.* vbi docetur, quomodo eiusmodi comparatio fit instituenda. Nobis luce meridiana clarius esse videtur, talia fingere nec potuisse Tacitum, nec voluisse, cum a satirico scribendi genere plane sint aliena.

e) Conf. quae hac de re copiosius disseruere PELLOVTIER et MEINERS; ille in operis doctissimi: *Histoire de Celtes*, tomo primo, in quo omnium scriptorum antiquorum de Germanis testimonia diligenter collecta sunt; hic autem in *commentatione de natura populorum Germanicorum et Celticorum*, quam inseruit Tom. VIII, repertorii historici Göttingensis, p. 1 sqq.





liores eos fingi, quam vere fuerunt. Denique apud Romanos, quamquam barbarorum iis veniebant nomine, magnae tamen laudi ducebatur, Germanici condecoratum esse nomine; neque ignotum est, haud ita diu post multos Germanorum impertita patriciorum dignitate exsplenduisse. Idem igitur populus, cuius sua quemque ciuem origine, mirum, quantum constat fuisse elatum, quanquam fortasse non consulto, imprudenter tamen multa dedit specimina, e quibus diiudicare posteritati serae liceat veterum Germanorum dignitatem. His vero, quae adhuc sunt exposita, etsi sententia eorum, quibus satira habetur de Germania libellus, refutata videtur, atque, si dicere fas est, explosa etiam: tamen temperare mihi non possum, quin aliud insuper addam argumentum, quod, quo magis incurrit in oculos, eo minus permittit, ut admirari desinam, qui tandem factum sit, ut plures in illam delaberentur. Memoro enim iam hoc, nec vitia Germanorum a Tacito esse silentio praetermissa. Quibus morbis eorum administratio ciuitatis laboret, *f)* indicat, et, qua parte eorum virtus non mutata sit satis, pari animi liberalitate aperit. Accusat eorum nimiam in potando sui indulgentiam, *g)* imprudentem in ludendo temeritatem, *h)* summam in agro colendo negligentiam, *i)* pigritiam denique abhorrentem ab omnibus negotiis iis, in quibus nulla est virtutis bellicae exercitatio. *k)*

## §. X.

Examinauimus igitur utramque de Taciti libello virorum doctorum sententiam, quibus si recte fuisset statutum, omnino fides illius vehementer labefactata posset censer. Iam praeter haec, quibus obuiam illis iuimus,

*f)* c. 11.    *g)* c. 22. 23.    *h)* c. 24.    *i)* c. 26.

*h)* Liceat his omnibus adiungere locum, quem neglexisse penitus videntur, qui Tacitum inimico in Romanos animo, et quasi pertaesum patriae hunc libellum scripsisse putant. Refert c. 33. Chamauos et Angriuarios pulsam Brueterorum gentem penitus excidisse. His subiungit hanc professionem, hoc votum: *super LX millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque, gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis, nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.* Quis quaeso crediderit, eum, qui talia optet, qui in tales erumpat preces, nimio duci Germanorum amore et in suos acerbum esse? Non ridere





iurimus, superest aliud, quo, quamquam nostrum hac in re iudicium mirifice adiuuari videatur aliis, nos tamen consulto abstinemus. Est vero id in eo, quod multi existimant, veterum Germanorum descriptionem, Taciti calamo posteritati donatam, imaginem referre sequentium temporum valde similem; quare, si quis priscum aeuum componere velit cum recentiori, eum primaeuam gentis nostrae indolem, quamuis mutatam, tamen ad hunc vsque diem non penitus deletam posse agnoscere. In eorum, qui ita sentiunt, numero, est FRIDERICVS, Borussorum rex, nuper defunctus, qui scripsit in libro: *Memoires pour seruir à l'histoire de Brandeb.* pag. 50. *Quiconque a lu Tacite et César, reconnoitra encore les Allemans, les François, et les Anglois aux couleurs, dont ils les peignent. Dix-huit siècles n'ont pu les effacer.* Sed videtur haec et morum comparatio, et ista vetustissimorum in Germania institutorum vestigia in iure Germanico quaerendi sedulitas non semper operae pretium facere. Quam enim dubia hic nutent atque vacillent omnia, vel ex eo intelligitur, quod seculis insequentibus, praesertim quarto, veteres, quas Tacitus nominauit, gentes maximam partem vel plane excesserunt Europa; vel, relicta Germania, nouas quaesuerunt sedes; vel denique aliunde irruentibus admixti populis, proprio vti nomine iuribusque desierunt. Erat illorum temporum plane talis ratio, qualem in vniuersum describit SENECA in *Consolat. ad Heluiam*, c. VI. „*Affiduus generis humani discursus est. Quotidie aliquid in magno orbe mutatur. — — — Noua gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conuersis, oriuntur.*“ Quid igitur essemus lucraturi, ista fidem Tacito adserendi ratione inita? Primum enim, quomodo effecerimus, hoc vel illud ius, hanc vel illam consuetudinem, hoc vel illud institutum, quod cum incolis priscis Germaniae commune recentioribus repertum esset, originem suam illis debere? Multo enim maiori cum iure adfirmare licuerit, ea, quae sequioribus in Germania seculis viguerunt, instituta, a populis esse deriuanda, qui in locum eorum, quos Tacitus descripsit, successerunt. Namque vt taceam, vestigia, quae vrgentur plerumque, similitudinis inter populos Germaniae antiquissimos recentioresque inuentae, valde in-

certa

ridere patriam, non conuiciis lacerare voluit Tacitus, sed describenda Germanorum fortitudine ostendere animum amantem patriae et de eius salute haud parum sollicitum,

C





certa esse atque lubrica: saepissime etiam casu solet accidere, ut diuersa tempora idem enasci videant. Quod si, ut est, habetur pro vero: alterum quoque concedatur, necesse est, ad comprobanda ea, quae in Taciti leguntur libro, nullam plane habere posse vim rituum morumque consuetudinem e seculorum posteriorum memoria repetitam. Tantam enim si haberet haec vim, tertio loco monitum sit, parem sibi libertatem eodem iure eos exposcere, qui falsitatis arguere voluerint Tacitum in iis, quae dissimilia sequentium temporum narrauerit. Quam rationem corrigendi emendandique ea, quae suo cuiusque ingenio videntur suspecta, quis neget, temerariam esse nulloque pacto ferendam? Si quem habet usum hunc Taciti libellum pertractantibus notitia populorum, qui post veteres illos, quorum in eo recensentur nomina, Germaniam occupatam tenuerunt; is maxime in eo cernitur, ut, quae sequentium temporum historia suppeditat, ad illustrandam antiquitatis obscuritatem adhibeamus, indeque colligamus, quam accommodata isti aetati, quam conuenientia populis barbaris, magnamque semper sui similitudinem seruantibus sint ea, quae Tacitus de Germanis tradit, quantamque habeant probabilitatem internam. 1) Frustra autem sunt, qui definire inde conantur, quid vere aut falso relatum ad nos peruenerit. m)

#### §. XI.

Merito autem mancam aliquis hanc disputationem dixerit, nisi iam iis, quae habtenus sunt proposita, quaedam subiiciantur consediaria, quibus certo constet, quatenus Tacito in iis, quae de vetere Germania scripsit, fides

1) Nemo in illustrando hoc argumento melius est versatus MOESERO in egregio opere: *Osnabrückische Geschichte*, tom. I. cuius viri ingenium ut alia multa, etiam antiquissimos mores et instituta praeclare illustrauit.

m) Inter aliter sentientes, quorum sequi partes ob causas commemoratas dubitabam, est HEINECCIUS in *hist. iur. ciu. Rom. et Germ.* L. II. c. 1. §. 3. sqq. quem vide cum notis, quas adiecit RITTER, et post eum SILBERRAD, *Argentorati*, 1751. et ARNDT in *disput. Quatenus Taciti de Germania libello fides sit tribuenda?* §. VI. et, ad quem prouocat, GEBAVERVS in libro: *Vestigia iur. Germ. ant.* Conferantur autem simul, quae monuit ANTON *über des K. K. Tacitus Abhandlung über Lage etc.* III. II. 2. 3.





*fides sit tribuenda.* Multa enim antecedentibus admiscenda fuerunt, e quibus facile quis collegerit, hanc non vnam eandemque esse debere in omnibus. Haec igitur vltima erit muneris suscepti pars. *Indicabimus nempe, quibus in rebus tuto sequi auctoritatem scriptoris nostri possimus, et in quibus caute ad eam sit prouocandum.* Ostendimus vero iam supra, et plurimis eum fuisse instructum praesidiis, quibus adiuuari eius opera et posset, et vere adiuuaretur; neque necessariam ei defuisse animi religionem, qua non nisi id, quod verum agnosset, literis mandarit. Haec igitur ad hunc locum animo sunt repetenda. Absolvitur autem omnis Taciti de Germania libellus partibus duabus: mores enim atque instituta eorum, qui eam inhabitabant, retulit, regionesque singulis gentibus cultas determinauit. Quod igitur ad primum attinet, certum est, saepius eum linguae Germanicae imperitia esse lapsum. Attamen, quod omnibus in libris legendis faciendum est, vt personam scribentis respiciamus: id ab iis, qui, Tacito institente, veterum Germanorum conditionem cognoscere cupiunt, nullo modo debet negligi. *Romanum igitur Romanis scripsisse cogitent*, quicumque eius opera absque sui fraude vti voluerint. Alias enim periculum est, ne falsam plane gentium Germanicarum, earumque, qui tum erat, status, mente concipiamus imaginem. Quod enim quotidie fieri videmus ab iis, qui terras peregrinas describunt, vt omnia ad suos referendo mores, lectoribus clara reddant et perspicua: id Tacitus quoque non illicitum sibi existimabat. Si quid igitur in eis, quae de illorum vitae et publicae et domesticae ratione refert, reperitur Romanis proprium, separandum est; nec quicquam, nisi id retinendum, quod indoli Germanicae conuenit, quae inest in simplicitate morum, summo libertatis amore, studioque fortitudinis inuictae. Nemo igitur, qui legere recte auctores antiquos consuevit, hoc narrandi modo, quem secutus est Tacitus suo iure, erroribus implicabitur, quibus ille ipse videtur aliquoties voluisse occurrere.<sup>n)</sup> Circumspecta autem hac cura quantum opus sit lectoribus Taciti, vt vno vtar exemplo, docere possunt ea, quae ANTON admonuit in *Commentario* suo ad c. 12. de dignitatis notione cum principum comitumque nominibus non semper eadem coniungenda.

C 2

§. XII.

n) c. 13. — toga — domus pars — c. 18 totum, — c. 25, — serui — familiae.





## §. XII.

Maximopere autem cauendum, ne fidem temere habeamus Tacito in eis, quae suspicio est, *e sermonis profecta esse imperitia*. Laudandus vero ille, quod, quantum posset, nomina Germanica retinuit, neque ea, nisi eatenus immutauit, quatenus id suae linguae poscerent leges. Ex quo genere sunt nomina propria: VELLEDA, AVRINIA, quorum prius feminam loca syluestria habitantem; hoc rerum absconditarum diuinatricem significat. <sup>o)</sup> Non minus huc pertinet Ingaeuonum Istaueonumque appellatio, originis haud difficulter agnoscendae. <sup>p)</sup> Descendit haec viri diligentia prospicientis, ne quid alieni haberent vocabula sermonis Latini, eo usque, ut multas res voce a Germanis indita appellaret: sicut sunt *barditus*, *framea*, atque aliae. Vnde quanquam elucet, indefessum illius fuisse studium in impedimentis, quae linguae peregrinae obiiceret inscitia, remouendis: fatendum tamen est, imminuta quidem illa, sed non penitus esse sublata. Multa enim sunt, quae coniiciendo diuinandoque falsa eliceret. Refero huc deos peregrinos Germaniae ab eo illatos; deinde ea, quae etymologice explicare conatus est; postremum alia nonnulla, quae in usu ac consuetudine fuisse veteribus Germanis parum verisimiliter perhibet. Iam singula exemplis illustremus, oportet. Primum igitur quanquam verissimum est, gentes nulla dum literarum luce collustratas superstitioni esse deditas, omnibusque terrarum, quas incolunt, regionibus, suos praeficere genios, quos colant ac timeant: tamen superstitio illa certis semper subsistit finibus, neque numinum, quae revereantur, facit plura, quam rerum, quibus occupantur, usus desiderat, atque utilitas suadet. Itaque apprime conuenit Germanorum simplicitati ea religio, quam I. CAESAR B. G. IV. 21. et noster G. 40. et 45. illis tribue-

<sup>o)</sup> Apud VLFHILAM *Welde* c. 9. *Wald*, et *Wilthi* c. 9. *Waldig*. Eidem *Run* est *mysterium*, *Runa* *artis magicae perita*. IORNANDES H. G. c. 24. *sagas* memorat, apud Gothos *Aliorumnas* dici.

<sup>p)</sup> Si forte TACITVS errorem commisit in eo, quod nomina ista certis gentibus esse putauit propria, socium saltem illius habet PLINIUM H. N. IV. 4. Sed quicquid existimetur, agnoscitur tamen hoc: nomina illa incorrupta esse seruata; quanquam *Ingaeuones* aliis sint *incolae*, *Istaueones* *bellatores*, ut auctori commentar. Brandeb. pag. 246. aliis *priores* *accolae maris*, a vocabulis *Inga* et *wonen*; *posteriores* *regionum incolae depressarum* ab *Ist* et *wonen*.





tribuerunt. Mercurii vero, Herculis, Martis, Isisque sacra nullo illis pacto potuerunt haberi. Quid Mercurium gentes coluerint, quarum valde exigua erat mercaturae, neque vlla literarum cura, nec numerosus ambitiosorum deorum coetus, cui aligero nuncio esset opus? Non pergo nunc persequi reliquos, et commemorare ea, quibus, quam falsa haec sit narratio, abunde potest demonstrari: patent enim omnibus: addo solummodo hoc, facile in illam opinionem delabi eum potuisse, cum vehementer sibi Romani placuerint in eo, vt suos deos aliis adfingerent populis. Quid? si in carminibus, quibus ad pugnam ituri Germani fortitudinem incitabant, saepius fiebat mentio heroum, quorum nomina similitudinem habebant cum iis, quibus suos insignirent Romani deos? Tum vero sono eodem repetitis vicibus accidente ad aures, barbarae linguae non adsueta, quum alia expediendae difficultatis via non pateret: facile sibi persuadebant, patrios esse deos, quorum illi fidem implorarent. <sup>q)</sup> Idem dicendum de eis, quae etymologiae ope interpretatus est. Sic cum c. 6. *centenorum* facit mentionem, derivat hoc nomen a pedum numero, singulis e pagis dilectorum. Sed pagi erant maioris amplitudinis, atque in vicos distributi. Ex illis igitur secundum Tacitum multo minor ad bellum prodisset numerus, quam expectaris a gente esse emissum, quae abundabat hominum copiis, quorum omnium erat, suscipere arma; et iure collegeris ex eo, quod Sueui (Caes. B. G. IV. 1.) e centum pagis singula quotannis millia armatorum eduxerunt. <sup>r)</sup> *Tertia* adhuc superest classis errorum, qui eodem ex fonte profluxerunt. Non repeto hic, quod iam §. antecedente fuit commemorandum: omnia ac singula, quae de Germanis vtrum recte sint relata, explorare velimus, ex ingenio ipsorum esse diiudicanda; cui si reperiantur consentanea, certa; sin minus, incerta, imo falsa censeamus. Quid igitur

C 3

de

q) Scripta eorum, qui hunc Taciti errorem ex imperitia linguae deriuarunt, nominavit SCHÜTZE im Beweis, daß viele Gottheiten den Teutschen ange-dichtet werden, §. IV. Quid veri lateat sub his fabulis, lege apud FULDAM von den Gottheiten der alten Teutschen — im Geschichtsforscher, I. 110. Ceterum TACITVS ipse indicat, se de Germanorum diis ex mente et sensu hominis peregrini et Romani praecipere. Etenim c. 43. vbi apud Naharualos Castorem et Pollucem coli refert, expressis verbis addit, *interpretatione Romana* id intelligendum esse.

r) de centenis praeter alios vid. ANTON in Commentario ad h. l.





de his, quae sub hoc iudicium iam lubet vocare, sit existimandum, facile inuenitur. Legimus c. 12. vbi de poenis sermo est, quibus in delicta expetierint, *imbelles et corpore infames, coeno ac palude, iniecta insuper crate, periisse immerfos*. Sed imbelles, qui sunt necessariis ad arma capessenda viribus destituti, credi non potest, e vita esse sublato. Namque ipso fatente Tacito (c. 15.) scimus, feminas et senes non magis, quam imbecillos omnino rerum domesticarum gessisse curam; et sicut apud omnes nationes incultas, ita apud has quoque rarissimum fuisse supplicii usum c. 21. Eius vero flagitii, cuius qui sunt rei, audiunt corpore infames, s) nulla plane inter Germanos erat notitia, nedum consuetudo, quae tam graui in illud supplicio animaduertendi necessitatem adferret. Quoniam videtur a re proposita esse seiunctum, non existimo, requiri posse a me, vt scriptores Graecos, qui *παιδερασιας* originem inter populos septentrionales quaerunt, mendacii, quod vere est, coarguam: fines autem Germaniae hanc pestem inuasisse cur negem, rationes sunt addendae, ex ipsius, quae tum temporis fuit, conditione se offerentes. Si autem gentes Germanorum erant populosissimae, corporumque et robore et proceritate praestantes; si matrimonia illis sancta seruabantur, tamque teneris et firmis continebantur amoris mutui vinculis, vt ab vxoribus nonnullis, mortuo etiam marito, nouis nuptiis non dissoluerentur; si graue libidinem opprimebat odium, castitatem laus tollebat maxima; si denique victus cultusque regnabat simplex, neque illecebris ingeniosae gulae, neque vana vestijum specie corruptus: quis demum a se impetrarit, vt credat, illas adfectas fuisse morbo, quem mollities praeparat, luxuria auget, et, quo grassante, casti, quibus vtriusque pectora sexus incendit natura, extinguuntur ignes, multitudo atteritur, flosque iuuentutis marcescit? Vere *QUINCTILIANVS declam. III. pro milite aduersus tribunum* adfirmat: *Nihil tale nouere Germani, et sanctius viuitur ad oceanum*. Quemadmodum autem in hoc, quod modo excussimus, apertum omnes fere agnorunt auctoris nostri

s) *KIRCHMAIER* per *ignauos, imbelles, et corpore infames eosdem* intelligit: *ANTON* eos, qui bellum detrectantes corpus ad stipendia facienda ineptum reddiderant: *AMELANG* denique *ulceribus foedos*. Sed sunt *mores muliebria passi*, sicut non vsus solum loquendi communis efflagitat, cui etiam noster se adstringit: Vid. *Annal. I. 73. XV. 49.* sed contextum quoque bene permittit.





nostri errorem: ita idem ei accidisse fatebuntur, cum c. 17. feminas Germanorum purpura variasse amictus narrat. Namque omnino tum magna eius erat caritas; neque intelligi potest, quomodo hae, quae omni aere carerent, rem pretiosissimam redemerint. Solebant distinguere vestes coloribus, inter quos si erat, qui simili appellaretur ab illis nomine, Tacitus soni deceptus similitudine, purpuram cogitabat. <sup>t)</sup> Sed quorsum haec, quae haecenus sunt recensita? At vero minime, ut fides Taciti imminueretur, sed ut appareret, quod acutissimus quisque praecipit, cautos nos esse oportere in libro eius usurpando. Quis enim homini Romano linguae barbarae exprobrat inscitiam, quae nullis nitebatur praeceptis, quorum ope eam addisceret; et quae eo tempore ne scribi quidem et ad literarum elementa reuocari poterat? Accedit ad hoc, quod linguae Latinae volubilitas ac mansuetudo ab illius rauco horridoque strepitu mirum, quantum abhorreret. POMPONIVS quidem MELA III. 3. *de Germania, Montium, inquit, altissimi Taurus et Rhetico; nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano.*

### §. XIII.

*Hostias humanas a Germanis esse immolatas*, plurimi in dubium vocarunt: sed unde hae, quas recte habuerunt, originem duxerint fabulae, alii aliter senserunt. <sup>u)</sup> Sunt quidem, qui ab hoc extremae crudelitatis opprobrio illos non eant vindicatum, et, quia communem putant barbaris gentibus; et quia TACITI atque LUCANI verbis diffidere dubitant. <sup>v)</sup> Sed ut nihil amplius dicam de Mercurio atque Iside, quibus haec sacra facta vult Tacitus, Germanis manifesto adfictis: horum nec mansuetudo ingenii nefandam hanc saevitiam admiserit. Constat

t) Male igitur hinc SCHMIDT in *H. G. I, 2. pag. 46. luxus Germanici initia repetit*. Alii *purpurae* vocem dictam putant pro *colore rubro*. Sed talis in oratione negligentia a nostro scriptore.

u) LONGOLIVS de *ἀποθνήσκουσιν* occasionem illis dedisse putat *supplicia capitalia*, quibus malefici apud illos adfecti sint; FVLDA von den *Gottheiten der alten Teutschen* in MEVSELII *Collectaneis historicis*, quae inscrib. *Geschichtsforscher*, tom. I. pag. 96. *consultas fuisse mortuorum animos per occasionem factae caedis existimat*; alii aliter.

v) AMELANG I. C.





fiat enim consentientibus aetatis illius suffragiis, mitem eorum fuisse naturam, animum hospitibus benignum, et clementem supplicibus. Neque silentio est praetereundum, quod Caesar neget, Germanos studuisse sacrificiis. (B. G. VI. 21. ab initio.) Vixit quidem centum prope annis post illum Tacitus, quibus praeterlapsis mutata fuisse multa, forte quis opinetur: sed gentes, quales hae erant, mores atque instituta a maioribus accepta sancte seruare, nec, nisi fortiore fortunae ictu excitatae, in nouas solent transmittere formas. *Vtrum omnino victimae ab illis sint caesae*, graui de causa addubatur. Nulla eis, quae adorarent, simulacra, non perpetuus sacerdotum ordo, qui operaretur sacris. \*) Ad voluntatem numinis explorandam sortes iaciebant, meatus obseruabant lunae, et praesagia equorum experiebantur. Illa autem et moderatio animi, non nisi tum, quum iniuriis aliorum esset laceffitus, in perniciem humanitatis exaestuans; et institutorum, qua nemo non delectatur, simplicitas aequo interuallo seiunxisse videtur Germanos veteres et a religiosa Graeciae Latiique pompa, et a sanguinolenta ferarum gentium superstitione. Sed quid maxime effecerit, vt contra omnem probabilitatem sacrificia non animalibus solum, sed hominibus quoque immolatis, offerendi consuetudo iis sit attributa: id vero definire velle, non tam difficile est, quam plane prohibitum. Videtur tamen hic error non ex vno tantum deducendus fonte. Verisimile est, eum promanasse partim e discrimine inter alias nationes, v. c. Gallorum, (I. Caes. B. G. VI. 16.) et Germanos non accurate posito; partim e denegata illis felicitate, horum intelligendi linguam: cuius cum essent expertes, leuissimo decepti iudicio, gentibus parum cognitis peregrinos mores inferebant.

#### §. XIV.

*Altera pars Corneliani libri est geographica; cuius non minores esse virtutes, quam prioris, peritissimus quisque praedicat. Haud leui autem veritas eius argumento commendatur, quod, qualem in Germania tum inuentam esse scripsit caeli temperiem, solique naturam: talem vel etiam nunc experimur; vel, multis fausto conamine in melius mutatis,*

\*) Vid. ANTON in *Comment. ad Taciti Germ. c. 9.*





tis, olim certe fuisse, scimus. Est tamen iis, qui, Tacito duce, Germaniam perlustrare cupiunt, semper in animo tenendum hoc: *supra Albis flumen Romanos non penetrasse*. Recte enim obseruatum est, in populis ac terris, quae Rhenum inter Albiisque iacerent, recensendis, perspicuum eum esse et copiosum: contra in iis, quae trans hoc flumen essent, y) contractiorem fieri atque obscurum. Qua de re non iniuria querelas fundi, paucis sufficit ostendere exemplis. Ille enim quum per totum fere librum non vnum nominarit populum, cuius non explicaret ritus vel instituta, vel denique interdum talia, quae ipsi essent propria, et quorum veluti notis dignosceres eum a reliquis: vbi ad finem peruentum est, gregatim multas gentes agit, quarum satis habet, appellasse nomina. (c. 40. 43.) Neque desunt obscuritatis maculae. Ex pluribus ostendam vnā, cuius quis abluendae difficulter medicinam reperiat. Loquor de locis duobus, c. 28. 43. quorum in posteriore idem signum reiiicit, quod in priore adhibuerat ad gentem eandem pro Germanica agnoscendam. Excusandus tamen est. Quis enim dubitet, consueta illum diligentia in terris, quae remotiores erant, describendis fuisse versaturum, nisi temporum obstitisset ratio, quae ipsi non laetior obtigit, quam PLINIO, z) qui H. N. IV. 12. ita refert: *Germania multis annis, nec tota percognita est. Si coniectare permittitur, haud multum orae deerit Graecorum opinioni, et longitudinis ab Agrippa proditae*. Et paucis ante: *Toto autem hoc mari (loquitur de Sueuico) ad Scaldin usque fluum Germanicae accolunt gentes haud explicabili mensura; tam immodica prodentium discordia est. Graeci et quidam nostri, XXV. p. oram Germaniae tradiderunt.* Agrippa  
cum

y) CLUVERIVS in *Germania antiqua* pag. 615. erroris quidem coarguere voluit TACITVM, qui *Albi in finibus Hermundurorum oriri* scripserit. Sed VELLEIVS PATERCVLVVS L. II. c. 106. non solum cum eo consentit; verum etiam constat, seculo primo medio in vicinia Lygiorum, atque adeo prope Silesiam, quae hodie appellatur, eos confedissee. Id quod apparet e TACITI *Annal.* XII. 30. — Cum vero dubitat, an Venedos, qui sunt ad Sarmatas referendi, (Cluuer. *Germ.* pag. 681 sqq.) Germanis adnumeret, c. 46. causis certe perturbatum eum videmus, sua aetate omnino grauissimis.

z) Vid. SCHLOEZER in libro: *Allgemeine Nordische Geschichte*, p. 147.





*cum Rhaetia et Norico longitudinem DCLXXXVI p. latitudinem  
CCLXVIII milia.*

§. XV.

Dum vero, ut ad quaestionem propositam accurate responderem, rationes in utramque partem pro virium modulo expendi: hoc indagando mihi videor assecutus, ut intelligam, magnam Tacitum apud posteros iniisse gratiam, qui, quantum de priscis Germaniae incolis ipse haberet compertum, calami beneficio asseruare nobis voluerit. Ipsi enim prodebant nihil literis, nec minus valet de eis, quod Sallustius in Bello Catilinario, c. 8. de vetere populo Romano dixit: optimus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat. Quicquid autem vel Graeci, vel Romani scriptores de rebus illorum retulerunt: id vel edax rerum tempus absumsit; vel, si tulit aetatem, breuius est, multisque de causis Taciti commentariis postponendum.



AVCTO.



---

 AVCTORI CLARISSIMO

S. P. D.

## P R A E S E S

**C**um significares mihi nuper, velle TE dissertatiunculam de fide Taciti in describendis veterum Germanorum moribus, elaboratam per occasionem exercitationis priuatae. reddere nouis curis castigatiorem, editamque mecum defendere publice: etsi bene sciebam, tractatum hoc argumentum esse saepe, et a viris doctissimis, idque nuperime; tamen improbare consilium tam honestum, vel dissuadere minime poteram. Etenim laudandi vehementer mihi videntur iuuenes, qui, transactis annis aliquot in academia, rationem collocati temporis publice reddunt; qui, quantum profecerint in litteris, et quas potissimum earum partes diligenter coluerint, edito specimine demonstrant. Alitur hoc modo spes laetissima, nunquam defore bona ingenia, quae aliquando prodesse possint patriae; eorum autem, qui, in ingenti turba petentium honores et munera, circumspicere debent, ac veluti oculis designare homines doctos et in aliquo genere excellentes, quos utiliter adhibere possint, eorum igitur cogitationes et animi per eiusmodi specimina conuertuntur ad iuuenes, qui vel ingenio praestant, vel eruditione ac diligentia. TIBI quidem, VIR CLARISSIME, minime metuenda


D 2

vide-





videtur feueritas talium aestimatorum et iudicum, cum libellus, a TE  
 propositus, manifesta contineat vestigia acris ingenii, iudicii subacti, do-  
 ctinae elegantis et variae, diligentiae denique et laboris indefessi. At-  
 que his dotibus ornatum TE esse, per opportunitatem exercitationum,  
 quas in illo praestantissimorum, mihi que carissimorum iuuenum collegio  
 suscepisti, saepe, et cum singulari animi mei voluptate intellexi. Quare  
 non dubito profiteri publice, me spem de TE concepisse longe maxi-  
 mam; praesertim cum praeclearis incendi TE videam exemplis domesti-  
 cis, partim AVI, senis venerandi, et in summa senectute optime me-  
 rentis de republica, quem uti Deus TIBI, et nobis omnibus diu seruet  
 incolumem, ex animo precor; partim AVUNCULI, Viri Illustris,  
 Iureconsulti doctissimi, qui multis sibi nominibus deinxit acadeniam  
 Vitebergensem; partim denique PATRIS ipsius, Viri optimi, et me-  
 dici eruditi. Haec TV contemplari exemplaria, horum virtutes aemu-  
 lari perge, VIR CLARISSIME, eorumque de TE expectationem non  
 modo sustine, sed etiam vince. De me autem sic habeto, me nunquam  
 commissurum esse, ut vel amorem in TE meum, vel studium ornandi  
 TE et adiuuandi desideres. Ita vale, meaeque disciplinae etiam in poste-  
 rum aliquam conserua memoriam. Scr. Vitebergae, ipsis nonis Mart.  
 CIOIO CCLXXXII.



Lit. Kern. B. 1361/22